

§. IX. Nihilominus tamen adhuc sunt alia, quæ secundam & tertiam figuram infringere videntur: nam obicitur (1.) quod natura per lineam rectam, non per ambages progrediatur, et id propter in artibus quoque abstinendum esse ab ambagibus, quales in secunda & tertia figura dari exinde probatur, quia conclusio harum figurarum per reductionem ad primam figuram est confirmanda, & ita Syllogismus in prima figura inferendus, qui statim ab initio potuisset inferri. (2.) Entia non sunt multiplicanda præter necessitatem: Jam omnes quæstiones concludi possent in prima figura, nempe particulares & universales, affirmativæ & negativæ, ceu intuenti modos illius apparet; quorsum igitur opus est aliis figuris? (3.) Aristoteles ipse fatetur, Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ esse imperfectos, 1. prior. cap. 5. & 7. Ergo secunda & tertia figura quoque sunt imperfectæ, & consequenter rejiciendæ.

§. X. Sed hæ rationes non sunt tanti momenti, ut propter eas duas posteriores figuras rejiciamus, quippe quæ in naturali differentium usu frequentissimè reperiuntur: toto enim die fit, ut homines tam indocti, quam docti naturæ ductum in ratiocinando sequentes per Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ argumententur. Ad 1. Ergo, respondetur, quod Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ per lineam, ceu loqui amant, rectam, & non per ambages progrediantur, licet ad primam Figuram reducantur; qua reductione etiam carere possent, cum nempe per reductionem illatricem vim necessariam non accipiant: hanc enim absque ulla ad primam Figuram reductione possidere solent: hoc enim nisi esset, Syllogismis secundæ & tertiæ Figuræ definitio Syllogismi ab Aristotele tradita attribui non posset, in qua dicitur, conclusionem ex præmissis necessario inferri. Secunda ergo & tertia Figura non minus

nus